...wicz Jan

...ancisci: Trina ingens diffi-
cultas — resoluta. 1662

DI

IO

Fratre
Ord.
L

Publicæ

Patre
Eius

In Conuen
Anno

In Officina

TRINA INGENS DIFFICVLTAS

A
Venerabili Seruo Dei ac Principe
Theologorum,
IOANNE DVNSIO SCOTO
DOCTORE SVBTILI.
Ac Admodum Venerando Patre,
Fratre FRANCISCO CHRAPOWICKI,
Ord. Minorum de Obseruantia Regulari, Sacræ Th.
Lectore Generali, Prouinciæ verò Poloniæ,
Diffinitore actuali.

RESOLVTA.

Publicæq; Disputationi tēpore Capituli Prouincialis,
A
Patre Fr. SAMVELE IANKIEWICZ,
Eiusdem instituti actu Presbytero, Sacræ Theologiæ Studioso Generali.

PROPOSITA,
In Conuentu Przyrouiensi Diuæ ANNÆ *Mettertiæ dicato,*
Anno 1662. Die 11. Iunij Diuo ANTONIO PATAVINO, ac Nostro tutelari Sacra.

CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cezarij, S. R. M. Typogr.

ż. z.



SACRATISSIMÆ
AC
SERENISSIMÆ,

DIuinæ Prolis Parenti. Nobilissimæ Domus Daudicæ clarissimo germini. Cæli terræq; desideratissimo delicio, Vniuersi generis humani expectatissimo fulcro. Lectissimæ ac castissimæ DIVI IOACHIM Sponsæ. Præstantissimæ Nuptarum ac Virginum coronæ. Augustissimæ Matris Dei Beatissimæ Virginis MARIÆ Matri.

CHRISTI DEI
DIVINÆ AVIÆ
DIVÆ ANNÆ METTERTIÆ,

Fratrum Ordinis Minorum S. FRANCISCI
Eximiæ protectrici, curatrici, ac Dominæ.

Pater Fr. FRANCISCVS CHRAPOWICKI
hos maturos fructus Theologicos, dicat, ac Sacrat.

VEnit nunc iterum ad Tuam Sacram Aram illud Tuum mancipium, ô Diuinissima ANNA. *Quod quartumdecimum ante annum Philosophicas docendi curas hac eadem in Tua Domo assumpserat. Et quidquid tam*

ingenti mortalis æui spatio, laboriosa manus de Theologicis potuerat decerpere, serenè purpuratorum, ac albescentium florum, & maturè coctorum fructuum: totum hoc vnâ cum isto imbecillo licet, Tuo tamen; & iam Theologico rore albicante capite, ad Sacros Tuos proijcit pedes. Totum hoc Tuum est; quod in hoc fæcundo Tuo solo satum, Tua plus quàm solari claritudine nutritum, Tuis empireis ignibus fotum, & ad hanc vsque maturitatem deductum. Vt & ego ille quondam Scholasticus & Tuus tyro, nunc prouectæ Tuæ ætatis æmulus, attonitis Auiæ Dei Arcano, & ipsis elatis impallescerem crinibus, & tot Nepotis Tui Sacratissimi Verbi Diuini reuelatis Theologicis exercitus profunditatibus, profundissimè ad Tuos nunc veluti reuerentiâ tanti Numinis, exhaustis viribus ac penè exanimis procidam. Scio fateorque vti omnes mortales.

---- hoc agimus, tenuiq; in puluere sulcos
Ducimus, & littus sterili versamus aratro.

Me quoque toto hoc decursu scholastico, rubiginoso ingenij sulco steriles speculationum versasse arenas, nec quid dignum conspectu tantæ Matris allaturum, Tuisque Sacris horreis illaturum. Attamen ô Mater, illa Tua fœcundissima fœcunditas, qua amænissi-

mum

mum florem in Tuis visceribus laboriosa totius Triadis manu insitum, Beatissimam Virginem Matrem, MARIAM *Dominam, arescenti mundo produxisti, tot gratiarum amænitatibus recreasti, & tanto flore coronasti, imò omnes amœnitates cælo detractas vnico Paradiso Sacri vteri Tui occlusisti, Arborem illam & dulcissimos fructus scientiæ, Notitiæ, seu Verbi Diuini; & vitæ æternæ, Sanguinis Tui plenitudine fæcundâ fouens & nutriens glebâ. Purissimam, & iam ante vterum, & in vtero Tuo, sine omni macula Conceptam Virginem* MARIAM *edidisti. Erigit hæc cælestis fæcunditas Tua, & sterilem mentem meam, vt audeam iam veteranus, veternosis Tuis amænitatibus, & tam florenti hortulo Tuo Diuinis illis fæcundissimis floribus* IESV & MARIA, *hos aridos meos inferre labores, imò inter tot virentes Paradisos sentio & meæ mentis efflorescere sterilitates, dum Tua ô Mater pietate - - - - fæcundo rore maritat*

Quaq́ volat vernus sequitur color, omnis in herbas
Turget humus, dulci violas ferrugine pingit.

Et. Soluitur acris hyems grata vice veris & fauonij fauentissimis benignitatum Tuarum afflantibus verè aureis auris; ita vt & humilis iste intumescat animus, ac cum Poeta clamet.

Dij me tuentur, Dijs pietas mea
Et Musa cordi est.

Sit cordi Tuo ô Diuinissima ANNA *Mettertia, cura mei, & huius certaminis.*

Tuum est, nam ad Tuas aras, & à Tuo cliente productum. Suscipe ô Mater pectore Materno, debitum hunc Tibi scholasticum meum censum, quem vti ad Tua Sacra limina susceperam, ita venerabundus depono, & Te Mettertiam adoro.

DIFFICVLTAS PRIMA,

DIVINVM MEDICVM PIISSIMVMQVE SAMARITANVM CHRISTVM DEVM.

Naturam humanam lapſam, per medicinalia Sacramentorum remedia curantem & reſtaurantem concernens.

1. MAgnus de cælo deſcendit MEDICVS: quia magnus in terris iacebat ægrotus. Sacro ore elocutus quondam Princeps eloquentiæ Chriſtianæ Auguſtiſsimus AVGVSTINVS. Magnus ſanè cæleſtis deſcendit Medicus. Ipſum etenim VERBVM DIVINVM, ſecunda in Diuinis Perſona, Sapientiaq; totiùs altiſsimæ Triadis, noſtri creatrix & reſtauratrix perfectiſsima. Dum plenitudine temporum gratiæ adueniente, aſſumptâ naturâ humanâ, & vnà cum eâ infirmitatum noſtrarum congerie, vniuerſos vniuersi ſuſtulit morbos. Chariſsimo illo Medico Diuino Aphoriſmo aſſeuerante. Lucæ 6. Qui habebant infirmos ducebant ad IESVM, vt ſanarentur à languoribus ſuis, & ipſe ſanabat omnes.

2. Samaritanus ille pijſsimus ſpoliatum videns hominem, & atrociter ſauciatum miſerationis affectu compatiens

tiens, medicinam attulit efficacem, quâ curatis ipsius vulneribus, ac plena reddita sanitate in sui principium, à quo descendens ab Hierusalem deuiauerat, finaliter reducatur. Hanc autem efficacem medicinam pretiosissimis vasis Sacramentorum nouæ legis inclusit.

3. Curatio hominis peccato sauciati per Sacramenta nouæ legis licet sit efficax, tamèn est semiplena & dispositiua. Quia est viatoris peregrinantis per fidem, qui non est assecutus suum finem, aut plenam æternæ beatitudinis sanitatem, sed adhuc luctatur in via cùm infirmitatibus, Internè quidem in se patiens contrarietatem carnis & spiritus, vbi hera & ancilla Sara & Agar dissidia fouent in partes distractæ. Externè autem aggressus homo implacabilia bella gerit aduersùs Principes tenebrarum, & mundum. Contra vtrumq; autem hostem subsidijs Sacramentorum fulcitur; & hoc Pharmaco omnes morbi profligantur.

4. Nam per lauacrum Baptismi vti per ianuam salutis, omnes deuiæ qualitates cùm peccato originali expurgantur. Deinde oleo Sacramentali Confirmationis anima roboratur. Illoque Angelorum pane Sacrosanctâ Eucharistiâ, vti post morbos conualescens reficitur, & augmento gratiæ substantiosè solidatur. Sed si his Sacramentorum adhibitis remedijs adhuc natura nostra sauciata recidiuet per peccata actualia, his efficacissimum Pharmacum Pœnitentiæ Sacramentalis exhibetur. Venialibus etiam vltimatùm veluti cutis vitijs datur extremæ vnctionis linimentum. Ordo verò Sacerdotalis Sacer, vti Minister & Pharmacopeus, omnia hæc Diuina ordinatione dispensat

reme-

remedia. Matrimonium tandem perennes conseruans generationum fructus, filijs ornat Ecclesiam, & semper nouis coronat gratijs.

5. Plena curatio hominis sauciati, est ipsamet finalis reductio, dum homo æterna præmiatur beatitudine, iam in Patria constitutus; quæ sunt iucundæ refectiones clara visione essentiæ Diuinæ, inchoatiuè per intellectum, completiuè verò per amorem & adhæsionem voluntatis summo bono clarè viso.

6. Præuaricatio pacti Diuini per esum pomi vetiti, fuit causa summi morbi in natura nostra, peccati originalis. Per quòd Anima rationalis iustitia originali, gratiâ Diuinâ, & hæreditate Patriæ cælestis spoliata, verè se sensit nudam, post tot bonorum cælestium iacturam. Quàm oportuit ipsum Christum DEVM humanatum cooperire, ac proprio sanguine mederi. Nam vulneri tàm putrido, (inquit D. Cyprianus lib. de Pasione Christi) & antiquarum cicatricum fœtori, non inueniebatur medicamentum aptum, nisi vnguento sanguinis Christi, plaga vetus liniretur.

7. Iustitia originalis est illud donum quòd Adam semel amittens, nunquam potuit recuperare, quamuis gratiàm recuperauerit. Vnde in baptisatis gratia acquiritur, & culpa originalis dimittitur, tamèn iustitia originalis non confertur per peccatum originale deperdita; & quàm haberent omnes posteri Adæ, nisi ipse peccauisset. Hæc autem iustitia originalis in primis parentibus, fuit donum illud quod adæquatè facilitabat voluntatem ad prosequendum faciliter bonum honestum rationis, & moderabatur affe-

ctus concupiſcentiæ, & conſiſtebat formaliter in aggregato ex omnibus virtutibus moralibus pertinentibus ad intellectum & voluntatem, nec fuiſſe vnum donum vnitate indiuiſibilitatis, quòd tribueret hunc effectum voluntati. Tale enim donum reddebat Deum delectabiliorem voluntati, quàm vlla alia bona ſentiua. Et ideò hoc donum debuerat eſſe generale in actu ſuo primo reſpectu omnium virtutum congregatarum in Adamo. Et hæc iuſtitia originalis, non eſt idem quòd gratia ſanctificans. Quia de facto nemo conſequitur iuſtitiam originalem etiàm in gradu remiſſo, licet gratiam ſanctificantem multi conſequantur in ſummo. Et multi de facto habuerunt gratiam maiorem gratiâ Adæ, iuſtitiam verò originalem ab Adamo deperditam nemo eſt aſſecutus.

8. Peccatum originale per D. Anſelmum lib. de conceptu virginali cap. 26. Eſt priuatio iuſtitiæ originalis, eſtq; peccatum originale, aliquod peccatum mortale, contractũ à poſteris Adæ ab inſtanti infuſionis animæ rationalis; ob quod priuatur iuſtitia originali & Regno cælorum; ita vt ſi moreretur in illo ſtatu homo ſine adhibitione Sacramenti baptiſmi, anima illius periret de populo.

9. Poſsibile eſt Deum de potentia ſuâ abſolutâ dimittere culpam originalem, ſine infuſione gratiæ ſanctificantis. Poſsibile etiàm eſt de eadem potentiâ, Deum dimittere alicui peccatum originale, ſine collatione eidem cuiuſcunq; poſitiui repugnantis, illi peccato; hoc eſt ſine collatione iuſtitiæ originalis, vel alicuius alteriùs doni ſupernaturalis. Et hoc fieret per veram condonationem culpæ,

quia

quia Deus nollet vindicare illam culpam. De potentia autem ordinaria, totum hoc est impossibile.

10. Eadem præuaricatio primi parentis per esum pomi vetiti, sicut ipsam mortem, ita & dispositiones ad illam, scilicet omnes morbos naturæ induxit. Natura enim humana summi artificis accurata manu perfectissimè, & sine omni ægritudinis ac mortalitatis rugâ elaborata, & inter sapida alimenta Paradisiaca collocata, omnis mortalis desitionis horrores effugeret, Angelicis manibus in cælos transportata. Sed inuidit tantæ nostræ fælicitati malignitas Angeli præuaricatoris; ita vt eius suasu, & vnico pomi esu, omnem turbam morborum deuoraret, sed & ipsam Adam deglutiret mortem. Certum enim de fide nobis est. Deum summam vitam non fecisse mortem, sed ad esum pomi mors & morbi, tanquam effectus ad causam secundam irrepserunt naturæ. Stante illo infallibili decreto Diuino. Gen 1. In quocunq; die comederitis de fructu vetito, morte moriemini. Et sic, Homo cum in honore esset non intellexit, cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hoc est. Quia homo per esum pomi brutaliter concupiscentiam adimpleuerat carnis, ideo brutali, morbosâ, mortali Animâ sensitiuâ est punitus. Antecedenter enim ad peccatum vnica tantùm erat in homine anima rationalis, quæ vt forma perfectissima totali dominio immediatè possidebat corpus, ob quod, corpus alienum erat ab omni ægritudine & mortalitate; sicut de facto dicimus formam cæli plenè possidere materiam suam, & ideò corpora cælestia ab extrinseco esse incorruptibilia. Post peccatum

verò

verò Deus in pœnam peccati intrusit animam sensitiuam in corpus humanum, quâ mediante, vt actu distincta realiter, anima rationalis regeret hoc mortale & morbosum corpus. Et hoc pacto homo magnus effectus est ægrotus.

11. Clarum est stando in principijs fidei, scholas Medentium secutas Paganismum Aristotelis & Galeni, ignorare primùm fundamentum morborum, sicut illi tenebriones ignorarunt originem morbi. Ignorantes ergo morbum in sua radice semper frustra suis remedijs eundem aggrediuntur, sed prospicientes crises naturæ spectatores sunt morborum non curatores. Et reuera Ethnicus viarum ignarus, vias magis ostendet, quàm cæcus colores antea non visos, Vndè deploranda est hæc cæcitas per tot lustra inter Christianos sæuiens, & tot innocentum sanguine cæmeteria impinguans.

12. Hæc eadem naturæ dura nouerca cæca ignorantia hactenus seduxit scholas, vt fingant naturam elementis contrarijs constare, & corpus humanum repleri quatuor humoribus, quod omninò merum figmentum reputo, cùm præter sanguinem nullus sit alius in nobis humor, nisi excrementa sanguinis vellis vocare constitutiua corporis humani. Vnde & catharros esse in corpore humano merè fabulosum est. Morbi enim omnes non ob contrarietatem humorum affligunt corpus, sed ob animæ sensitiuæ debilitates. Ideò hæc sola sicut imaginatiuè concipit morbos, ita sola curari debet, sine qua corp⁹ nullo pacto curabile est.

13. Vltra animam sensitiuam, datur in homine causa effectiua intrinseca. Quam directorem seu Mareschalcum

vitæ

vitæ noſtræ voco. Eſt autem ipſa vis generatiua, ſeu ipſum ſemen, extrinſecè ſuccum quendam referens in viuentibus. Conſtat autem ex connexione vitalis auræ velut materiæ, cùm imagine ſeminali, quæ eſt interior nucleus ſpiritualis fœcunditatem ſeminis continens. Semen autem viſibile eſt quoddam tegumentum illius. Et hic director non eſt quoddam demortuum ſimulacrum, ſed plenâ (miro Dei opificio) inſignitus ſcientiâ, poteſtatibuſq; neceſſarijs, rerum in ſua deſtinatione gerendarum ornatus; ideoq; eſt vitæ & ſenſationis primarium organum. Iſte director vitam noſtram ſicut inchoat, ita auget, & vſque ad vltimam ſcenam comitatur. Ille dum negligit regimen internum, corpus infirmatur, & ideò ille ſolus remedijs ad ſua munia eſt reuocandus. Hunc ſi quis vellit negare, oro aſsignet mihi, quiſnam antecedenter ad animam ſenſitiuam & rationalem, formet in vtero materno tam mirabilem ſtructuram corporis humani. Niſi vellit ad miracula recurrere.

14. Sicut datur vnicus director generalis in corpore humano, ita poſsibile eſt vnicum remedium ſolo contactu curans omnes morbos. Suprema enim bonitas non eſt fœcũdior in pœnalibus, quàm remedijs. Datur autem de facto pœnale Epidemicum, ſcilicet lues peſtilentialis, ſolo contactu inficiens directorem & animam ſenſitiuam. Ergò poſſibile eſt & vnicum huiuſmodi remedium, ſi cura & charitas accedat medentium. Omnis autem cura in omni morbo præcisè ad ſtomachum debet dirigi, vbi directionis & animæ ſenſitiuæ eſt præcipua ſedes, membranis ſtomachi occlusa.

15. Meritò Sancta Mater Ecclesia, & summi Pontifices, grauissimis legibus prohibuerunt Sacerdoti practicè medicinam exercere. Limpidissimo enim oculo perspexerunt; hucusq; medicinam fuisse meram carnificinam; quæ secat, vrit, cruorem prætiosissimum naturæ thesaurum fundit, furentibus venenis imaginarios humores, & animas pellit. Sed si daretur de facto aliquod remedium solo contactu sanans, vel intus sine omni suspicione noxæ operans, quales sunt sales. & panacea aurea, seu aurum potabile, certè hanc praxim Ecclesia Sacerdoti non prohiberet, imò benediceret.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Efficientiam Sacramentorum respectu gratiæ Sanctificantis declarans.

Gratiâ plenam Sanctißimam Virginem MARIAM immaculatè conceptam aßerens.

1. NVllum Sacramentum quantumcunq; perfectum potest habere efficientiam, seu causalitatem respectu gratiæ sanctificantis conferendæ. Concedimus enim de Fide esse Sacramenta vera, causare gratiam ex vi institutionis Diuinæ: vti hoc clarè concinit Ecclesia. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum; remissio autem peccati de lege ordinaria nequit esse sine infusione gratiæ. Et Sacrosanctum Concilium Trident. Sess. 7. Can. 6. 7. & 8. apertè determinat. Si quis dixerit

Sacramenta nouæ legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam obicem non ponentibus non conferre dicat. Anathema ſit. Dicimus ergò Sacramenta verè cauſare gratiam, ſed non phyſicè; ſicut v. g. Calor immediatè producit phyſicè alium calorem.

2. Cauſalitas phyſica verè dignoſcitur, dum concipim⁹ hanc rem à tali cauſa vt actu phyſicè exiſtente produci; & hoc ſi talis cauſa, vel in ſe, vel in aliquo à ſe producto exiſtit. Et vltra exiſtentiam, cauſa phyſica debet habere virtutem in actu primo, quâ mediante aliquid aliud à ſe valeat phyſicè producere, & hoc vel tanquam cauſa principalis, vel totalis, vel partialis, vel adminùs vt cauſa inſtrumentalis. Sacramenta autem ex quo dum exercentur totaliter non exiſtunt, nec habent aliquam virtutem in actu primo reſpectû gratiæ ſanctificantis, ideò nequeunt dici cauſæ eius phyſicæ.

3. Poſita ſola cauſalitate morali Sacramentorum reſpectu gratiæ ſanctificantis, optimè ſaluatur cauſalitas vera Sacramentorum, ab Eccleſia & SS. Patribus prætenſa. Cauſare enim moraliter eſt ita ſe habere reſpectu productionis rei, quam diceremur cauſare, vt quamuis non habeat actionem phyſicam vllam, nec ſit diſpoſitio phyſica connaturaliter exigens productionem iſtius rei; ita tamen ſe habet, vt ratione poſitionis ipſius, cauſa quæ rem illam producit phyſicè, determinetur ex poſitione eius ad rem producendam, quam alias non produceret in illis circumſtantijs, in quibus dicitur cauſari moraliter à cauſa; quæ dicitur moraliter tantùm cauſare. Tractum eſt autem nomen cauſæ moralis ab

actio-

actionibus humanis. vti v. g. Consulens, iubens, suadens occisionem iniustam proximi, dicitur vera causa moralis illius occisionis. Et reuera causa exemplaris & finalis veræ sunt causæ, & tantum intentionaliter causant. Ex quo ergò Deus mouetur ad productionem physicè gratiam sanctificantem propter applicationem Sacramentorum, licet illa nil faciant respectu gratiæ physicè, tamen moralitèr causabunt gratiam.

4. Quantumuis Sacramenta sint causæ morales gratiæ, tamen sunt causæ per se, non per accidens eiusdem. Expresśè enim Concilium Florent. & Trident. Sess. 6. cap. 7. decernunt, Sacramenta nouæ legis continere & causare gratiam. Hæc autem locutio cum sit dogmatica, debet in rigore accipi sine distinctione, aut limitatione; ita vt Sacramenta dicantur per se causæ gratiæ, non per accidens. Nã causa per accidens non semper habet suum effectum. vt v. g. Fosśio terræ, & inuentio thesauri. Sacramenta autem cùm infallibiliter ad positionem sui signent gratiam efficaciter, ideò sunt causæ per se eiusdem. Omnis enim dispositio necesśitans ad formam, quæ non est ratio receptiui, potest dici quodammodo causa actiua respectu formæ. Vti etiam est meritum causa per se respectu præmij.

5. Instrumenta artium propriè dicuntur instrumenta, quæ non sunt de se actiua, quia in huiusmodi instrumentis tantum est quantitas, figura, & durities; quæ omnia non sunt actiua. Posśibile enim est Deum serra butiracea scindere lignum. Ex quo ergò instrumenta omnia efficiunt in virtute sui mouentis, & tantum sunt receptiua cuiusdam ef-

fectus

fectus prioris ordinati ad effectum vltimum. Ideò etiam Sacramenta hoc pacto possunt dici instrumenta gratiæ, licet nullam in se habeant virtutem physicam actiuam respectu eiusdem. Quod totum egregiè D. Bernardus serm. de Cœna Domini expresit dicens: Sicut inuestitur Canonicus per librum; Abbas per baculum; Episcopus per annulum; sic diuisiones gratiarum diuersæ sunt traditæ à Sacramentis. Quæ omnia instrumenta sunt moralia. Et certè non debet tribui maior & perfectior causalitas Sacramentis, quam quæ tribuitur Christo Domino respectu gratiæ producendæ, & iustificationis hominis. Christo autem tantùm moralis & meritoria tribuitur. Neq; Pasio Christi potest dici physicè mouere Sacramenta ad productionem gratiæ, cum Pasio Christi nunc nec in se, nec in aliquo suo effectu existat physicè. Neq; Sacramenta causant aliquam dispositionem physicam necesitantem ad productionem gratiæ, qualis est character, vel ornatus animæ.

6. Sacramenta cùm sint entia succesiua, tam quo ad formam, quam quò ad materiam in fieri, ideò nequeunt totaliter simul existere, & esse causæ Physicæ. Mirabile enim est, in quanam syllabarum vel vocum formæ includatur illa virtus Physica respectu gratiæ, quæ producitur in instanti. Tota ergo illa causalitas erit moralis. Vnde dum Ecclesia erat conficiendo Sacramenta, seu materiam Sacramentorum nonnullorum Sabbato Sancto. Hæc aqua fecundetur arcana admixtione numinis Spiritus Sancti, & quod virtus Diuina descendat in aquam vt totam eius substantiam fæcundet regenerandi effectu. Per hoc non in-

 telligit

telligit dari à Deo in aqua intrinſecè aliquã virtutem phyſicam reſpectu gratiæ ſanctificantis. Et hanc puto impoſſibilem eſſe etiam de potentia abſoluta Dei in Sacramentis.

7. Sacramenta pro formali ſunt pura entia rationis. Intelligo autẽ ens rationis. Quod eſt tanquã ſecundo conſideratũ non tanquã primò cõſideratũ, ad quod cõſiderandũ mouetur anima à re extra, ſed ens tanquam in primo conſiderato, in quantũ conſideratũ; & hoc nil aliud eſt quam relatio rationis. Sicut ergo talia entia Logica habent ſuas diffinitiones naturis ſuis proportionatas; ita & Sacramentum hoc pacto diffinitur: Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum ex inſtitutione Diuina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris. Sacramentum ergo in recto ſupponit pro ipſa relatione ſigni in concreto ſumpta; vti quælibet diffinitio intentionis ſecundæ logicæ non pro re ſubſtrata, ſed pro illa ratione rationis in recto ſupponit. Et inſtitutio ad placitum in Sacramentis eſt ratio ſignificandi, & hoc pacto ſupponit in recto pro ipſa inſtitutione paſsiua, per quam formaliter conſtituitur in ratione ſigni.

8. Primus Parens ex quo contractum moralem pactus eſt cum Deo de conſeruanda iuſtitia omnibus ſuis poſteris, illam amiſit tantum illis omnibus qui in tali pacto erant incluſi. Ideò Beatiſsima Virgo MARIA immaculatè eſt concepta, quia antecedenter ad omne pactum conſtituta fuit in Matrem Capitis Eccleſiæ immaculatæ; & ſic fuit exempta ab omni debito contrahendi culpam originalem. Vnde immeritò Scoto imponitur hanc Sanctiſsimam Domi-

nam

nam fuiſſe Baptizatam; nam Scotus in 4to diſtinct. 1. q. 6. Reſpondendo ad primum principale tantum dixit: Si Virgo eſſet baptiſata; quæ conditionalis non arguit illam fuiſſe verè baptizatam, cum hoc nec Euangelia, nec traditiones Apoſtolicæ dicant. Et conceſſo gratis quod fuerit baptizata, adhuc in illo caſu Sacramentum eſſet ſignũ verum & efficax plenitudinis gratiæ in illa Domina Sanctiſsima, non quidem in fieri, ſed in facto eſſe.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Virtutem Creatiuam communicabilem eſſe creaturæ dilucidè aſſerens.

1. REplico & nunc hanc egregiam hoc noſtro æuo difficultatem, quam iam aliquoties ſtrictiori propoſueram ſtylo, & quid hac in parte ſentiam, lucide aperio; & aſſero. Creaturam poſſe creare. Cum nulla ſit euidens repugnantia ex parte creaturæ in quantum creatura eſt; & quia nulla ratio in communi, nec in particulari aſsignari poteſt validè conuincens, quod creatura vt Deo ſubordinata principaliter effectiuè creare non poſsit. Et hoc expreſsè in terminis aſſerit Subtiliſsimus Scotus in 4to diſt. 1. q. 1. §. Ideo dici poteſt tertio modo, (verba eius ſunt) quod creatura non poteſt creare principaliter modo prædicto, ſcilicet per formam intrinſecam actiuam reſpectu termini in ſuo ordine agendi. Et hoc probatur per rationem; ſed non communem omni creaturæ, ſed per plures de diuerſis creaturis ſpeciales. Hæc

Doctor Subtilis. Vbi ingenuè tantus Doctor fatetur se non posse à priori per aliquod medium generale & quidditatiuum probare, creaturam creare non posse; sicut V. G. solet probari risibilitas de omni homine. Et ideò non est ausus Scotus ponere generale illud axioma. Nulla creatura potest creare. Viderat enim illa Diuina mens Scoti ad creandum non requiri virtutem infinitam, cum terminus creabilis formaliter in se sit finitus, & ideò hoc asserentem Landulfum ibidem impugnat.

2. Summum bonum maximè sui communicatiuum, vti quàm plurima attributa sua sine omni contradictione de facto creaturæ communicauit, dando illi intelligere, velle, esse sapientem, bonum &c. Ita etiam potest & virtutem creatiuam communicare, quæ non est aliud quam quoddam attributum Diuinum per Doctorem subtilem in 2. sentent: dist. 1. q. 1. & 2. Nam vis creatiua in Deo est ipsummet velle Diuinum, velle autem vniuocè dicitur de Deo & creatura. Et etiam ly creare sumendo formalissimè, non est aliud, quàm immediatè producere effectum in re de nihilo, supplendo causalitatem materiæ, supplere autem causalitatem materiæ non repugnat creaturæ in quantum creatura est; cum per D. subtilem in 1. dist. 5. quæst. 2. num, 7. causalitas materiæ non dicit perfectionem simpliciter. Et reuera si forma est nobilior materiâ, & tamen forma continetur in virtute agentis, vt omnes fatentur, licet agens, sit limitatum & finitum, cur ergò & materia in quantum comparatur ad formam multò illâ imperfectior, nequeat contineri in virtute agentis?

3. Ratio-

3. Rationes Doctoris Subtilis locô citato in 4. probantes creaturam non poſſe creare validæ quidem ſunt; tamen hoc non demonſtrant. Neque Doctor ibi voluit demonſtratiuè incedere. Dum enim ibi contra Auicennam arguit, probando Angelum non poſſe producere alium Angelum, quia hoc deberet facere per actum intelligendi & volendi, qui actus ſunt accidentales Angelo, & ideo nequeunt eſſe principia productiua ſubſtantiæ. Hoc ibi Scotus Probabiliter non demonſtratiuê adducit. Nam ipſemet Doctor in 1. ſent. diſtinct. 7. quæſt. vnica ſoluens ſecundum principale ℣ ad propoſitum dico &c. num. 19. dum inquirit quare quædam formæ ſunt actiuæ, & quædam non ſunt actiuæ. Hoc eſt. Quare V. G. Homo producens hominem dat eſſe & agere, lapis autem nec dat eſſe alteri lapidi nec agere, ſtatim ibidem Scotus ingenuè fatetur hæc demonſtrari non poſſe his verbis. Difficile eſt aſsignare rationem communem, quare aliquæ formæ ſubſtantiales & aliquæ qualitates ſunt actiuæ, aliquæ autem non; & aliquæ formæ ſubſtantiales imperfectiores, vti ſunt elementares ſunt actiuæ, & aliquæ formæ perfectiores mixtorum perfectorum vt animalium ſunt ſui communicatiuæ, aliquæ verò perfectioris mixtionis non ſunt ſui communicatiuæ, vt ſunt corporum cæleſtium. Et concludit Doctor his verbis. Non igitur videtur ratio. Quare aliquæ formæ in communi ſunt actiuæ, & aliquæ non; ſicut in ſpeciali non videtur aliqua ratio, quare calor eſt calefactiuus, niſi quia calor eſt calor. Hæc Doctor ſubtilis. Et ſtatim ibidem hoc totum exemplificat de Ange-

lo. Vndenam Angelus non sit productiuus alterius Angeli, & respondet, quia angelus est talis naturæ; & quia ibi non recurrit ad actum intelligendi & volendi, sed potius ad ipsam naturam Angeli; ideo & ego dico ad rationem Scoti Angelum nec intellectione, nec volitione, posse creare alterum Angelum, sed sua natura vt principio immediato. Et vltra hoc dico Angelum potentia executiua distincta ab intellectione & volitione posse creare Angelũ.

Cum in communi sententia Angelus mouens cælum potentiâ executiuâ producat motum localem in cælo. Et ipsemet Doctor subtilis quæst. 4. Prologi articulo 2. § secundus Articulus ✠ in intellectu igitur Diuino. &c. num. 37. problemmaticè ponat in Deo talem potentiam executiuam vt distinctam ab intellectu & voluntate; & adducit exemplum de Angelo cælum mouente. Et hoc pacto certè ipsemet Scotus suam rationem soluisset.

4. Alteram rationem ibidem Doctor Subtilis ponit probans nullam formam materialem posse à creatura creari, cum hæc forma non possit per actionem distinctam ab informatione habere prius naturâ esse, quam suam materiam informet. Sed & per hoc noluit Doctor oppositum nobis demonstrare. Nam aliud est creatio, aliud rei conseruatio; quæ sequitur ad solam causam vniuersalem, & sic potest talis forma à creatura creari, licet non possit sine sua materia conseruari. Et etiam Deus creat gratiam sanctificantem, & tamen nisi nouo miraculo facto nequit illam independenter ab anima conseruare, quia gratia suapte natura petit esse in subiecto. Hoc eodem modo dico

de forma

de forma materiali, ad differentiam animæ rationalis, quæ cum sit subsistens, potest optimè independenter à corpore suapte natura conseruari. Et vltra profundius mente Scoti perspecta, video Doctorem Subtilem hac ratione voluisse ostendere creationem dicere duo distincta, scilicet productionem formæ secundum proprium esse; & deinde vnionem talis formæ in subiecto. Eductio autem nihil aliud est, quam ipsamet informatio, seu vnio & productio totius compositi. Et sic iuxta illud dictum Aristotelis 7. Metaph. textu 27. In productione comproducitur forma. Sed profectò in re ipsa non est ita. Nam ex ipsomet Doct. Subtil. in 4. d. 13. quæst. 1. § ex dictis, vbi Doctor ex Professo tractat de eductione formæ & vnione, & clarè deducit ibi duos esse respectus distinctos eductionem, & vnionem. Quia eductio est respectus intrinsecus adueniens, vnio verò intrinsecus adueniens. Ergo iam Scotus ipsemet soluit hoc suũ argumentũ, ponens eductionẽ esse formalissimè vnionẽ, nisi manifestè sibi contradicat. Si enim eductio & informatio sunt duæ rationes distinctæ in forma materiali, potest vis creatiua terminari ad eductionẽ, præcisa informatione. Et apertè Doctor ibidẽ num. 30. fatetur hanc rationem suam non esse demonstrationẽ. Subdit enim ibi, Istud de materia & conclusio secunda manifesta sunt apud Philosophos, qui posuerunt ordinem causarum secundarum simpliciter necessariũ; ita quod forma materialis non potest ab alio agente produci, nisi concurrente materia tanquam causa necessariò præsupposita termino productionis. Hæc Doctor subtilis. Addo ego. Sed sic est, quod talis ordo

causa-

causarum, nedum est ineuidens, verum & omnino tanquam absurdum manifestum ab omnibus reijcitur; alias enim nec Deus sine causis secundis, nec sine concursu causæ materialis posset aliquid producere, quod omnino est falsum.

5. Tertiam rationem Scoti ibidem adductam, Achillem Albertinus & alij recentiores vocant, quâ probat Doctor. Nullam formam materialem posse aliquid creare; si enim talis forma dependet à materia in essendo. Ergo & in operando; ne forte modus operandi & effectus sit perfectior sua causa. Sed & iste Achilles succumbit. Nam hæc ratio non comprehendit Animam rationalem, quæ in essendo non dependet à materia. Ergo saltem hæc posset creare. Similiter non comprehendit formam cæli, quæ licet sit materialis, tamen in sententia multorum non dependet à materia, sed omnino est creata. Nec comprehendit Angelum, qui in sententia communi non est compositus ex materia & forma Physica. Ergo saltem iste posset creare. Sed iam in forma respondeo ad hoc argumentum Scoti. Modus operandi sequitur modum essendi, & cum illo proportionari debet; Adæquatè vel inadæquatè concedo. Adæquatè tantum Nego. Eò quod forma ob sui excellentiam poterit optimè præter sui naturam operari perfectiori modo, quam sit secundum totum suum esse adæquatum. Et hoc habet Doctor in terminis in 4. distinct. 43. quæst. 2. vbi Doctor deducens Animam nostram esse immortalem, & independentem à corpore demonstrari non posse: & respondens ad argumentum D.

Tho-

Thomæ, quo probabat Animam rationalem habere aliquas operationes de facto independentes à materia; ſtatim Doctor negat hanc conſequentiam. Eò quod Anima noſtra ob ſui excellentiam poſsit inadæquatè huiuſmodi operationes exercere. Et de facto videmus Phantaſma etſi materiale, à materia dependens efficere rem ſpiritualem, videlicet ſpeciem intelligibilem. Ergo loquendo abſolute; Hoc eſt agens dependens à materia. Ergo alio modo operari non poteſt. Hoc non eſt dicendum. Tandem adhuc ad idem dico. Modus operandi debet proportionari cum modo eſſendi. Diſtinguo. Quo admodum tendendi tantum concedo; quoad modum eſſendi. Nego. Hoc eſt. Si potentia ſecundum ſuum eſſe erit finita & creata, non poterit tendere niſi modo finito, ſiue ad obiectum adæquatum, & intra ſuos fines; ſiue ſuper ſuos fines. Et ita intellectus creatus finito modo attingit Deum; quantumuis Deus ſit obiectum ſupernaturale. Nec ad hoc requiritur omnimoda proportio, alias nequiret intellectus creatus Deum attingere, qui ſecundum modum eſſendi in infinitum excedit intellectum creatum.

6. Vltima tandem ibidem ratio Scoti probat formam materialem non poſſe creare; ex eo. Quia talis forma ſecundum totum genus ſuum eſt poſterior ad quamlibet materiam. Ergo præſupponens materiam nequit creare. Sed de ſe euidens eſt, hanc rationem ſolummodo probare. Quod forma materialis nequeat ſuam propriam materiam creare, quod gratis concedimus; Nam ſic educta neceſſariò eſt poſterior illa; ſed non probat, quod talis forma vt

educta & existens, nequeat aliam à se formam vel materiam creare. Nam licet materia in communi sit prior generatione formâ in communi supposita educabilitate formæ; in quo sensu voluit Aristoteles Materiam esse priorem forma origine. Tamen si educibilitas excludatur, Arist. nihil concludit. Rationabiliter enim possum dicere; quod forma cum sit prior materiâ dignitate, contineat eam virtualiter secundum productionem. Et vitando contentiones cum iuratis Arist. demus formam esse posteriorem materia; inde tamen non concluditur illam creare non posse. Huius enim exemplum habemus de relationibus Diuinis, qui licet petant esse post terminum productum; eò quod omnis relatio resultat post fundamentum & terminum. Tamen filiatio in Diuinis est in aliquo signo prior ipso filio, quia est constitutiua filij; & omne constitutiuum est prius suo constituto. Hoc pacto dico de forma, quæ vt est productiua materiæ, potest esse prior illa. Sed & in creatis eiusdem habeo exemplum. De actione media. Quæ secundum multos Scotistas est relatio medians inter agens & passum, & tamen debet esse post fundamentum & terminum, ponitur verò antecedenter ad terminum productum; quia per illos Scotistas est productiua termini; & sic forma materialis si crearet illam posit esse prior illa.

7. Totis viribus insurgunt contra nos Nostrates, & dicunt experientia constare, agens tam naturale, quam artificiale supponere materiam. Ergò nequeunt creare. Sed hoc nihil est. Quia experientia non tollit, quod aliqua creatura per vim occultam, aliam non creet; cùm & ipsemet Do-

met Doctor concedat in sole & astris vltra lumen vim occultam. Alij addunt; Creatura nequit transubstantiare. Ergò nec creare. Sed & isti ex creditis procedunt non demonstrant. Alij proteruiunt dicentes, dato quod Angelus crearet alium Angelum, tunc creatio passiua identificaretur realiter cum Angelo, sicut identificatur respectu Dei. Et hoc nihil concludit. Nam nulla est paritas. Quia creatio passiua respectu DEI identificatur creato; ideò quia DEVS propria virtute creat, Angelus verò in virtute alteriùs crearet, & hoc esset illi per accidens. Accurrit in auxilium Nostratibus Occham & arguit. Ergò creatura si posset creare, posset & annihilare. Hoc vtrumque concedo. Nam vtrumque defendo. Multa alia congerit Schola libera; sed illa omnia ex antiquioribus desumunt, nec vidi aliquam nouam difficultatem ad hoc adductam; alij enim secuti D. Thomam, alij Scotum, eorundem hic argumenta adducunt. Et si aliqua ratio de nouo enascetur, spondeo efficaciter illam soluturum; & oro vt tam ardua in Scholis difficultas totis ingenijs exercitetur. Tu ô Diua

A N N A

faue &

iuua.